

F. 193. 193'. Von Hand saec. XIV. noch 36 Verse: 'Melchisedech Domino panem vinumque libavit'. Ib. p. 1151.

- Est¹ locus occiduis qui Ganda vocatur in horis, f. 83.
 Haud procul a magni semotus litore ponti,
 Contiguus vastae cui nomen Flandria terrae,
 Quem prope labentes rapidis duo cursibus amnes
 5 Civibus innumeram mittunt de gurgite praedam.
 Hic Hermenricus regni iam iure potitus
 Vel, sicut fama multorum fertur, Agrippa
 Ardua regalis posuit fastigia sedis²,
 Haud promptum dictu, regio quam splendida luxu.
 10 Nam cum iam vasta penitus sint lapsa ruina,
 Tanta tamen priscis illic operata magistris
 Condita telluris prolata videntur in imis,
 Ut, quamvis aliis cessantibus experimentis,
 Talibus indiciis certus cognoscere possis
 15 Urbibus hic cunctis caput esse prioribus annis,
 Quae circumpositae surgunt regionis in orbe. f. 83'.
 Verum sub talis degentes moenibus arcis
 Obducti caecis cor nubibus impietatis
 Devote profugi placabant fana Saturni
 20 Ac cariosorum ter centum monstra deorum,
 Ignari prorsus, quod solus sit venerandus,
 Qui stabili summum volvit vertigine caelum,
 Donec laudandus Christi confessor Amandus,
 Publica res magno pareret cum Dagoberto,
 25 Talibus obclusas tenebris devenit ad horas
 Atque salutiferi perfundens lumine verbi
 Quos dirae mortis religaverat error in umbris,
 In Domino salubris fecit fore pignera lucis.
 Hoc igitur magno quondam doctore, patrono
 30 Hic locus aeternae percepit dogmata vitae.
 Pro quo cum divae bonitati gratificare
 Congruat ac iuges devote solvere laudes,
 Hinc quoque maiorum debemus munera laudum,
 Quod sublimari nos fecit honore perhenni, f. 84.
 35 Cum dedit, iste locus specialis haberet ut artus
 Bavonis sancti pelago terraque loquuti,
 Praeclaris atavis qui ducens stemata³ carnis,
 In pago grandi qui dicitur Hasbaniensi
 Pollebat rebus quas mittit copia fultus.

1) Erster Vers mit rother und grüner Majuskel. Grosse hübsche Initiale E. Arabesken mit Fischköpfen. 2) Vgl. Mirac. S. Bavonis I, 1 (SS. XV). 3) 'stemate' Hs.